DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE CONTINUA COMMUNI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRE CONTINUA COMMUNI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,
Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WARREN BALDWIN,

HIBERNUS;

SOC. SPEC. EDIN. SOC.

Quantaque quam parvi faciant diſcrimina motus.

MANIL. Lib. I. v. 17.

Ad diem 24 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.

350337

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

REVERENDO VIRO

THOMÆ COOKE,

S. P. D.

GULIELMUS WARREN BALDWIN.

PRÆCEPTOR VENERATISSIME,

VIRTUS tua, ingenium, moreſque benigni, obſervantiam omnium jure vindicant; ego, attamen, non ob hæc ſolum te charum habeo, cujus amicitia ſolicita, imò paterna, cujus curæ nunquam defeſſæ, mihi poteſtatem hos, quos accepturus ſum, honores carpendi ſuppeditavere.

Oh! Eccleſia, tuis ſub auſpiciis marceſcitne virtus? Illúmne perſequeris, cui de virtutibus fere nulla deſit? Tua, amice, fortuna reſpondet: Eheu! turpe dedecus! Invidia mordax te propriis meritis ſpoliat. Diſſimulatio ſibi honeſtatis pretia arrogat. Scelerum meſſe fruantur viles. Sint, ſi eſſe poſſint, felices. Ego, dum meæ menti non deficiat honos, tuum nomen, merita, laudeſque, ſemper liberè proferam.

Has accipe ſtudiorum primitias, unicum, quod jam donare poſſum, amicitiæ pignus.——Vive! valeque!

CORRIGENDA.

P. 7,	lin. 17,	*pro*	vitaque,	*lege*	vitæque.
24,	1,	—	perſtat,	—	perſtet.
24,	7.	—	colorem,	—	calorem.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE CONTINNUA COMMUNI.

Auct. GULIELMO WARREN BALDWIN.

QUAMVIS, in diſſertatione ad ſyſtema medicinæ praxëos pertinente, omnibus morborum generibus et ſpeciebus noſologicum apponere titulum illorum diſcrimina optimè depingentem, decet; tamen mihi videtur, hujuſmodi tractationi nomine maximè uſitato et cognito opus eſſe: porrò, quanquàm de febre continuâ, qualis in his regionibus frequentiùs occurrere ſolet, verba agere mihi proponatur; tamen aliquorum ſymptomatum typhum gra-

viorem ſpeciatim notantium, rationem habere lubet; hæc enim medico in his inſulis aliquandò, etſi multò rariùs, quàm ſub cœlis calidioribus, ſeſe offerunt.

His perpenſis, typhus, ſynocha, et ſynochus nomina ſignificatione nimis coarctâ videntur: et mihi ſatis erit, ſi titulus præpoſitus idoneum lumen horum, quæ in paginis ſequentibus dicere volo, ferat.

Etiàmsì quædam permutatio in ratione operationum, quæ in corpore humano aguntur, priùs oriatur, quàm miſero ulla morbi ſuſpicio ſubſit; hæc permutatio, quæcunque ſit, prorſus latet; et prima manifeſta ſanitatis defectio languore, anxietate et ſolita diei negotia agendi repugnantiâ patefit. Hæc aliquandò adeò levia ſunt, ut ægrotum queri ferè pudeat. Sed huc citò accedunt in cibum ſolitum faſtidium, laſſitudo, debilitas, cum oſcitatione frequenti et mentis depreſſione. Infelix non ſecùs, ac ſi multo labore defeſſus eſſet, ſe habet. Interjecto tempore adſunt inquies et moleſtia

unà

unà cum cujuſdam ſupra corporis ſuperficiem repentis ſenſu ſubindè orienti: qui actutùm ad tremores multò agitantes increturus eſt. Æger nunc importuno afflictus frigore, primò dorſum et dehinc totum corpus pervadente, ſe ad focum quàm proximè recipit, et artus ſimul colligit. Pallida evadit facies. Oculi, palpebris vix patentibus, hebeſcunt, pruriunt. Vultus altè demiſſus mæſtusque geritur. His comites ſeſe offerunt ſuſpirium, vertigo, et cephalea aliquando acuta, frequentiùs obtuſa, tanquam plumbi moles caput gravaret. Surdaſter fit æger et ſonos audit apum ſuſurros vel lapſus aquarum referentes. Pulſus arteriarum parvi, debiles, frequentes, ſæpe intermittentes fiunt. Spiratio anxia, turbataque ſubitas et breves raptiones fert. Fœda et arida eſt lingua, vel albido muco obtecta. Nunc febricitans aliquantò ſitit. Alvus lentet. Urina limpida plerumque obſervatur, at ei aliquando rubidus conſtat color. Anorexia et nauſea magis magìsque premunt, et tandem vomitus, alio tempore le-

 vis,

vis, alio violentus cietur. Deindè corpori ſupervenit calor, qui, ſi oriatur ſudor, miteſcit; ſed aliter plerumque per morbi curſum perſtat. Anxietas et oppreſſio, ſudore fluente, leviores redduntur. Ab ægro liberiùs pleniùſque ſpiratur. Arteriæ pulſu pleno, molli et æquo ſed adhuc frequenti micant. Facies et tota corporis ſuperficies læviores evadunt; tota ora magis naturalia videntur.

Hic ſymptomatum concurſus in variis caſibus varios habitus aſſumit, varioque in ordine evenit. Æger ſæpiſſimè paroxyſmo tam plenè exacto non angitur: ſed a primo morbi ingreſſu horrores frigoris ſenſu excitati, et celeres ſanguinis fluxus totam corporis ſuperficiem præcipuè faciem calefacientes, occurrunt, et alternatim ſeſe ſummovent: Neque ſemper vomitu agitatur æger; ſed naùſeam et ſtomachi faſtidium ferè aſſiduè ſubit.

Inter hæc dies paucos, aliquandò unum vel alterum, aliquandò tres vel quatuor perducit febricitans: attamen manè, ærumnis pacatis, qui-

buſdam

buſdam otiis fruitur; illæ verò veſpere rurſùs ingraveſcunt, et noctu quietem vel totùm vel ex magnâ parte pellunt. Somnus ſemper turbatur, ſolitâ alacritate nunquàm ſuccedente. Somnolentia vel levi comate ſæpe percutitur æger, ſubinde muſſitans. Inconſtantes diſpareſque ſunt frigoris et caleſcentiæ viciſſitudines. Malæ ardore perſæpè ſuffunduntur, dum frigeat naſus, dumque frons ſudore frigidò madeat. Artus ſudore frigido, viſcido obducuntur, dum rubore vivido floreat vultus. Cutis tactû arida ſentitur. Alvus plerùmque aſtringitur, quamvis diarrhæa interdum contingit. Lingua ſemper ſordeſcit, nunc muco viſcido illita, nunc fuſca, arida, rimiſque fatiſcens: perſæpè quò magis arida ſit, eò minùs urget ſitis; ſed hoc ſymptoma nec citiùs ſe, quàm apud morbi acmen oſtendit. Miſer frequentèr de doloribus dorſum et lumbos affligentibus queritur; atque perſæpè corpus totum angore et moleſtiâ dolet. Ventriculus non rarò lentâ corripitur inflammatione, et ſtimuli cujuſcunque ſit adeò impatiens,

patiens, ut omne in ſemet ingeſtum, rejiciat: ita re ſe habente, ventriculo preſſo augetur dolor.

Sub ſextam ſeptimamve diem ſigna morbi ferè omnia in pejus ruunt. Graviùs premunt anxietas et oppreſſio. Capitis dolor et vertigo plus crudelitatis cient: huic ſuccedit delirium plus minùs truculentum. Cruſtis ſubnigris inhorrent labia, lingua et dentes. Ora tota videntur ſqualida. Corporis vires ſudoribus largè manantibus ſolvuntur. Sub hoc tempus, et etiam aliquandò paulo poſt morbi invaſionem, ſe in cutem promunt maculæ, violaceæ, lividæ, fuſcæ, imò et ipſæ nigræ. Has autem in typho graviori, ejuſque ſub periodum provectiorem, plerumque videmus. Rebus ſic ſtantibus coxæ, os ſacrum et ſcapulæ exulcerantur, partes corporis jacentis pondus præcipuè ferentes. Spiritus et halitus a ſuperficie diffuſus, maxime fœtent. In ore aliquandò apparent aphthæ altè fuſcæ. Vellicationes atque ſpaſmi muſculos faciei et artuum tendines agitant. Paulò ante

morbi finem, ſtupidus et inſenſilis fit æger, diutiùs luce vel ſonis more ſolito non excitandus. Saliva, deglutitione propter paralyſin ferè omninò impeditâ, a tracheâ, in quam ſolitâ portâ negatâ nunc viam legit, ſonum crepitantem emittit. Ex corpore deſcendunt, ægro vel nolente vel inſcio, fæx et urina: hæc autem non multò ante mortem ſæpe prorſus ſiſtitur. Arteriæ valde debiles et quaſi vibrantes tangentis digito ſe creberrimè illidunt. Sudores largè erumpunt frigidi viſcidique. Artuum ſummitates frigeſcunt. Tandem tendinum vellicationes ad ſubſultus validos et convulſiones univerſum corpus corripientes, increſcunt. Poſtremò ſervatrix, quæcunque ſit, quam natura corporis ſanitati præfecit, hoſti nimiâ vi inſtructo ſe reddit. Et ſic æger laſſatus, vitâque pertæſus, ſe ad lethi gremium recipit, unicum ærumnarum levamen. Sed hujus morbi eventus non ſemper adeo infauſtus eſt, quod, ne verba repeterem, inter prognoſin agendam oſtendere conabor.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Hæc febris continnua Britannica valde lethalis haudquaquam habenda eſt: * ex centum hominibus hoc morbo correptis, tribus quatuorve ſolis morientibus; ſed febre malignè et epidemicè graſſante, hæc ratio magnoperè permutatur. Ad ſtatuendam de morbo tam multas viciſſitudines ſubeunte prognoſin, prudentiſſimâ mentis adhibitione uti oportet. Noſtra eventûs prædictio præcipuè eſt deducenda a priori ægri valetudine generali, a morbi epidemici (ſi quis nunc ſævit) violentiâ, a methodo curationis jam factâ, et a ſymptomatum preſentium ſævitia vel lenitate. Quamvis prognoſin agere, incipiente morbo, difficile et valdè incertum eſt; tamen, febre paulò ulterius provectâ, variis multiſque ſymptomatibus gubernatur judicium. Cum ſpurcities, quæ jamdiu linguam

et

* Prælect. de Med. Pract. Doct. Gregory prolat.

et os fœdaverat, detergi incipiat, ab linguæ marginibus primò evaneſcens; cum ſaliva eò copiæ fluat, quò ad ſitim tollendam ſufficiat; cum cibi appetitus olim alienatus, et cutis humida hæc comitentur; pro certo ſalutem reverti habeamus. Diarrhœa modica bilioſa, cum cute udâ mollique, fauſtè prædicat. Febrem, cùm jam ad acmen perventum ſit, deceſſuram eſſe proculdubiò autumant ſudores generaliter tranſpirantes et angorem febrilem tollentes. Delirium non praematurè apparens felix ſignum afferre putatur; quamvis nonnulli, nullo delirio agente, vitâ defuncti fuerint. Quoniam ex viginti hominibus a febre convaleſcentibus, undeviginti aliquid ſomnolentiæ agunt; idcircò ab hoc ſpes læta aſſumi poſſit. Sed cum æger a comate haud facilè excitari poteſt, in dubio ſiſtitur vita. Arteriarum pulſibus plenis, mollibus, ſatìſque validis, et in minuti temporis ſpatio non ultra vicem centeſimam vigeſimam micantibus, medico felicem prognoſin præbere licet. Vinum ſi palato gratum ſit, ſi vires et otia ægro

afferat, ſi pulſuum crebitatem compeſcat, ſi dolorem capitis et delirium ſubigat, feliciſſimum omen præbet. Atque nunc redeunte cibi captandi cupidine, et levibus ſomnis corpus laſſatum refoventibus, ne puncto temporis dubitemus amicos reddere perſuaſos, ſalutem undique ſuppetere ægro.

Sed hoc grato munere fungi, ſymptomata jam recenſenda medico aliquandò negant; ſcilicet, debilitas et omne putreſcentiæ ſignum; pulſus exilis, debilis, facilè preſſioni cedens; filo vibranti ſimilis; dolores caput, pulmones, vel ventriculum aliave abdominis viſcera graviter et pertinaciter affligentes. Reſpiratio ægrè et rapidè acta, ſubinde interrupta; lineamenta orum collapſa; vultus demiſſus, oculi hebetes, fixi; ſtrabiſmus, qui ſignum fermè lethale habetur. Ex multis obſervationibus diſciplinâ valentibus, a Doctore Rutherford Botanices Profeſſore proditis, hanc prætermittere mihi vitio tribueretur. * Obſervat, ſymptomata, ſi multis viciſſitudinibus

verſentur,

* Si auditus et memoria me non fallant, hæc obſervatio inter Prælectiones Clinicas prolata fuerat.

verſentur, et ſi rationes impares inter ſe teneant, omen infauſtum dare: *e. g.* quandocunque, indiciis moleſtiæ ferè omnibus ſublatis, unicum adhuc pertinaciter ſævit; vel ſi, dum adſtantes ſortis ægrotantis lugubris ex ſymptomatibus miſereat, ipſe periculi ſui inſcius videatur, nec ullas querelas unquam prodeat, at e contra ſeſe bene habere dicat.

Signa, quæ jam dicturus ſum, medicum reducis ſanitatis fiduciam dejicere cogunt. Cùm ſudores frigidi viſcidique, tumoribus comitantibus et ſequentibus, perfluant; cùm delirium ferox et pertinax, luce vel ſono nequaquam ſuſtollendum ægro poſtremum minitetur; vel cùm coma altum in longum tempus producatur; quum ſtimulos ſentiendi non compos fiat æger; quum urina vel prorſus ſiſtatur, vel ſanguinolenta et fætida fluat; quum fæces cruentæ tetrum odorem efflantes, ægro nolente dejiciantur; cùm aphthæ, petechiæ, vibices et hæmorrhagiæ appareant; in poſtremo cum corpus

agitent tendinum ſubſultus et convulſiones; in peſſimum omnia ruunt.

Tales ſunt inſidiæ, qualibus tramitem mortalem inſtruit febris, talia ſunt arma, quibus mortales ſpoliat vitâ. Alii ægri aliis diebus, nunc ocyùs nunc ſeriùs mortem oppetunt. Hippocrates et Cullenus dies tertias, quintas, ſeptimas, nonas, undecimas, decimas quartas, decimas ſeptimas, et vigeſimas, morbi criſin ferè ſemper afferre autumant. Attamen longè poſt hæc tempora, febre afflicti moriuntur: Doctor Gregory mortem die ſexageſimo nono evenire ſe agnoviſſe dicit. Sed ille etiam obſervat, quòd, cùm res ita ſeſe habeant, nimiam debilitatem, atrophiam, gangrenam, aliaſque morbi ſequelas, ac nullo modo ipſum morbum, eventûs infelicis reas agere oporteat. Quandò ſub cœlis ſole calidiore ardentibus typhus, quæ reverâ paſſibus paucis ab hâc febre diſtat, funeſtiùs ſævit; in prognoſi ſtatuendâ, patet, tempeſtates anni et aëris temperiem aliquid habere notatu dignum.

Mihi

Mihi de diagnoſi verbis non opus eſſe videtur, meditanti, medicum medicinæ parcè peritum inter hunc alioſque morbos diſcrimen facilè ſtatuere poſſe. Animo hunc morbum ab aliis diſtincturo (ni errore verſor) judicium fallax ſubrepere nequit; niſi ſub febris adventum, cum multo frigore inhorrente ægro, non abſque ancipiti, ſive intermittens ſive continnua ſit, animo ſtemus. Inter talia medicus morbi cauſas, ægri vitæ mores, ſitum loci ubi egiſſet horas, et qualium rerum ſategiſſet, conſiderans, vix in dubio manebit.

CAUSÆ.

Auctores ferè omnes plures enumeravêre cauſas, quibus habitudinem ad febrem concipiendam corpori ortam eſſe, aſſeverant. Hi verò potiùs chimeris variis theoriis faventibus, quàm ratione experientiæ obſequente freti, dogmata ſua prodere videntur. Iſtæ cauſæ ab iis recenſitæ nullo alio modo agere poſſunt, ac debilitate inductâ; quæ, ut ego opinari velim, talem

talem rarò infert prædiſpoſitionem. Quàm ſæpe virum indole et ſanitate vegetiſſimis fruentem, febre ſæviter ſterni videmus, jam in arenam infantem ne provocare audentem! Hic argui licet plures debiles, quàm robuſtiores mori. Qui ita dicunt, ſi modo in mente volvant, quantùm numero validis anteveniunt debiles; inde ab illis videbitur, ut, quanquam hæc prædiſpoſitio in ſtatu debilitati omninò converſo conſtet, tamen debiles majore frequentiâ morituri eſſent, quàm robuſti. D. Gregory accuratiſſimus refert, ex centum hominum valdè debilium, phthiſi vel hydrope laborantium, unicum febre correptum fuiſſe, quamvis omnes contagioni maximè patebant. Inſuper dignum notatu videtur, illum unicum ægrotantem cum alio, a febre convaleſcente, in eodem lecto recubuiſſe; in quo caſu, validiſſimum contagione non corripi fermè non poſſe, negabit nemo. Nil ultra ſymptomatum modificationem valere mihi videtur debilitas. Cum nutrices, aliique ægrotis adſtantes, con-

tagioni modo injuriam maximam minitante diù expoſiti incolumes vivant; cum juvenes medicinæ ſtudium facientes ferè ſemper impunè noſocomia frequentent; cùm, quibus judicium in colluvie horrendâ vitam ducendi ſors dederat aſpera, aërem effluviis ſibi miſeris minimè nocivis, ſed aliis ſub Jove pleno vadentibus mala ſæviſſima illaturis, confertum ſpirantibus, in carceribus nullo morbo percuſſi maneant: ab his inferre licetne, quòd corpus humanum quò diutiùs contagioni expoſitum, eò huic obſtandi magis pollens fiat? Opinor plagas calidiore cœlo obtectas et calidiorem aëris temperiem febri non tantò prædiſponere, quàm in pejus ejus ſymptómata vertere. In his regionibus febris continnua ſub hyeme funestiùs inſævit, quod frigori eſt tribuendum, pauperibus caſas ſuas ventis dare neganti.

CAUSÆ EXCITANTES.

Cauſas fere omnes, quas hunc morbum excitare dicitur, cum Doctore Gregory habeo ut

ut ſolùm ſymptomata temperantes. Tamen hæ tres frigus, effluvia humana, et contagio arctiorem inveſtigationem merent. Frigus a Culleno febris per ſe excitandæ ſatis pollens habetur; quod mihi nullo modo veriſimile videtur; quia plurima ſunt exempla, ubi, frigore gravitèr premente, nihil febris continnuæ inſtar ſecutum fuerat. Frigus, quatenùs mihi cernitur, nullam poteſtatem habet, niſi cùm id et effluvia humana vel contagio concurrant, et quaſi junctis viribus ad febrem concitandam ruant. Nonnè creditu dignum videtur, quod omnes, ſed quiſque ſuâ ratione, materiem, quâ edita eſt febris, in ſuis corporibus ſemper generent; atqui hæc materia nil injuriæ afferre poteſt, niſi cum frigore adjuta, et quaſi in intimos compaginis receſſus repulſa, aut vel copiâ ſatis magnâ collecta, frigoris auxilio non egens, funeſtiſſimos edit effectus. Eſtne eò probatum, quòd nihil magis ad ſubigendam contagionem, quàm munditiæ, pollet? Hic morbus ferè ſemper a plebe rebus

egenis

genis oppreſſâ et ſupellectilis veſtitûſque peno, muro ſanitatis unico, nunquàm fruente; rarò a locupletibus originem ducit. Mihi alia, quàm hæc non cernitur ratio, quarè hic morbus ex improviſo primum ingreditur iter in locis, a quibus adèo diſtat contagio, ut huic febricitantis dolores tribuere præter fidem omninò foret. Effluvia humana et contagio ſe cognatione adeò arctâ attingunt, ut prorſùs eadem a me æſtimata ſint. Hæc materia hominum corpora, quibus orta fuerat, febre percellens, vel ab aliis rebus, quàm corpore vivo, pridem illâ imbutis rurſùs exhalata, et homini febrem inferens, effluvia appellatur; ſed contagio, cùm a corpore febricitanti in ſanum tranſeat, ibique eundem concitet morbum.

Paludum miaſma contagio ſui generis febrem ſolam gignit intermittentem, quæ, etſi ab continnuâ intimâ naturâ diſcrepet, tamen ægri corporis habitudine, curationis modo, aëris temperie cæteriſque variè ſe habentibus, continnuæ formam induere poſſit.

De omnibus theoriis ad cauſam proximam ſpectantibus, a medicis antiquis prolatis, prorſùs ſilebo; illam etiam Culleno gnavo ſagaceque elaboratam et nunc in fidem ubique ſaltèm ditione Britannicâ habitam, animadvertere nolo. Hujus auctoris ratiocinatio plurimis ægerrimè concedendis ſcatet; tamen, cùm ego nihil laude majori dignum proponere poſſim, et nil damni videam ab ejus theoriâ fluens; de hâc quoque ſilebo. Præterea animus humanus veſtigia, quæ natura ipſa facilè et ſine ullo errore ad metam ſemper legit, premere conans, ſæpè per avia ignota et ambages altiús inexplicabiles, quàm labyrinthum Creticum, ducitur: quocirca vereor, ne medici cauſam vel ſanitatis vel ægritudinis proximam olim fruſtra tentaviſſent, et in poſterum æquè fruſtra tentaverint.

SANATIO.

Hæc medendi conſilia ſtatuere oportet.

Consilium i. Ad febrem quàm citiſſimè ſupprimendam.

Consilium ii. Cùm prius effici non poſſit, ad

naturam

naturam ſublevandam, donec corporis œconomia ſtatum ſanum recuperaverit.

Consilium iii. Ad tollendum vel leniendum omne ſymptoma moleſtiam ferens, optimis remediis, niſi cùm horum adhibitio aliis ſymptomatibus plus damni minitantibus, interdicatur.

Conſilium 1. Quoniàm febris ex propriâ, cujuſcunque generis ſit, conditione nervoſi ſyſtematis conſtet; maximè veriſimile videtur, quòd quicquid illiſus ſive impetus magnos corpori inferre polleat, conſilium primum ad finem optatum uſque duceret. An hoc efficerent electricitas, in aquam frigidam vel fervidam immerſio ſubita et ex improviſo facta, timor mentem derepentè corripiens, vel ſumma lætitia ſubita? ſed hæc, alia inſidioſa, alia medicorum ſolertiâ nec temperanda, nec ordinanda, ſine magno periculo adhiberi non poſſunt. Ideò ad medicamenta vomitoria noſmet recipimus, quæ ſemper tutam, ſi modò judicioſè adhibeantur, concuſſionem corpori dant, et ſæpiſſimè in hoc conſilio perficiendo medicorum votis reſpondere ſolent. Ad vo-

 mitum

mitum ciendendum variis medicamentis ſub varia medicinæ æva uſi fuêre medici. His ferè omnibus nunc poſthabitis, ipecacuanha et antimonium in uſû habentur, quæ, ægri ætate, robore, cæteriſque variè ſe habentibus, variâ portione ingerenda ſunt. Hic notare valet, quò maturior eſt vomitorii adhibitio, eò feliciùs eſt ſucceſſura. Emeticum citra quintum ſæpè, ultra raró, ab morbi ingreſſu diem, adhibitum, febrem ſubitò ſummovet. Tamen medicus, quantumvis ſerò accitus, ſi aliquid acris et putreſcentis in ventriculo eſſe apparet, ſi æger robore mediocri lætetur, nullaque adſint inflammationis ſigna, cum commodo magno vomitionem ciebit. Hoc meliùs veſpere, quo exacerbatio febrilis ingruere cœpit, quàm alio diei tempore, agitur. Vomitio capitis dolorem ſublevat, delirium pacat, et quicquid ſtomachum moleſtiâ oneraverat, omninò expellit. Quamvis vomitus febrem a ſuâ ſede ne prorſus detrudere queat; tamen morbum mitiorem reddit; et vaſis extremis actionem naturalem jàm amiſ-

ſam

ſam inſtaurabit. Enema emolliens, alvo adſtrictâ, vomitioni debet præire. Si unquàm (quod verè rariſſimè accidit) capiti inflammatio attingere videatur; e temporibus per cucurbitulos cruentos vel hirudines ſanguinem quantitate admodum parcâ priùs ducere fas eſt, quàm vomitus ægrum agitaviſſet. Hìc denùo dicere volumus, quòd in tali morbo ſanguinem largiri medicum minimè opertet, minimè decet. Vomitu huic conſilio non reſpondente, noſmet ad ſecundum recipimus.

Conſilium 2.—Ad hanc indicationem obſequendam duæ patent viæ.—1. Omne irritans evitare.—2. Ex victu tennui et medicamentis idoneis viribus vitæ ſubſidium ferre. Calor externus irritationem moleſtiſſimam ſemper dare ſolet, ideòque levibus ſtragulis ægrum operiendo, ei potiùs culcitram, quàm torum plumeum ſternendo, ventos in cubiculum illiciendo, curioſè eſt frugitandus. Vigiliæ febricitantem ſæpè crudeliter angunt, [quibus obviam eundo nil magis pollet, quàm opium; quod per

totum

totum morbi decurſum, niſi ſymptoma ſpeciale ejus uſum negaret, cum commodo magno adhiberi poteſt. Alvi conſtipatio opio orta enematibus lenitèr ſolventibus aptè vincitur. Pediluvium vel fotus ad pedes applicati ſomnos placidos ſæpè ſuadent, et capitis turbationes pacant. Sitis gravium fit parens inquietudinum, quæ deleniendæ ſunt potibus ſpiritu nitri vinoſi, cryſtallis tartari, vel mali citrei aurantiìve ſucco acidulatis. Potus ad ægrotantis arbitrium nunc admodùm varium et mutabile mutandi ſunt. Dieta, quæ febricitanti convenit, tennuis, levis, ſtomachum irritare nequiens, eſſe debet; hujus generis ſunt *panado*, acido-dulces fructus, juſculum e pullo cocto confectum, panis toſtus, aqua vini pauxillo admiſta, et multa alia ad vires corporis reficiendas aptiſſima. Hic mei plura recenſere fortaſſè refert, ſed iſta æquè tertio, ac huic conſilio pertinentia, quò verba eadem ne denuò proferantur, ſub ejus conſideratione complectenda ſunt.

Conſilium 3.—Anorexia multas movet turbas. Si

Si æger nondum nimis debilis evaſiſſet, ſi ſtomachi inflammationis nullum appareat ſignum, et ſi nauſea videatur ex colluvie oriunda, per emitica leniora aſſequenda ſunt otia: in hunc finem ipecacuanha mitiùs, antimonio graviùs, concutiens, anteponitur. In pluribus caſibus per hauſtus lenitèr diluentes, ſalinos, ſubacidos, vel aërem fixum intimè gerentes, nauſeam ſummovere potiùs decet. Alvi conſtipatio capiti dolorem et delirium inferre ſolet; ideoque enematibus vel ſalibus refrigerantibus quàmprimum eſt reſolvenda: ſed catharſis vires vitæ repentè ſubigens non ſine magno diſcrimine ruit. Calorem febrilem temperari oportet, aëre ſubfrigido, potu refrigeranti, lavatione cum aceto et aqua miſtis. Aqua ſimplex cum fauſtâ fortunâ ad totum corpus lavandum, a medicis latâ experientiâ et obſervatione acutâ fungentibus, in uſu habetur. Tamen ab aquâ utentibus cavendum eſt, ne ſanguis in ullis partibus copioſiùs juſto congeratur.

Si

Si cutis arida perſtat, medicamenta diaphoreſin modicam elicientia, ut antimonium tartariſatum et antimonium calcareo-phoſphoratum, cum multis commodis adhiberi poſſunt. Spiritus nitri vinoſus vaſis extremis ſanam actionem reſtituere videtur. Sudor ſic elicitus, pigrè tranſpirans colorem febrilem, anxietatem et omnes moleſtias minuit: ad eundem finem in uſu ſunt fructus acido-dulces, taliaque refrigerantia.

Si ſigna debilitatis et putrilentiæ in majus tendant, cinchonâ vinoque fovenda eſt vita. Hæc remedia, prout ſigna putredinis urgent, magis magiſque impendi debent. Omnibus remediis, quæ adhuc ad febris ſanationem medico ſuppeditavêre, præſtat vinum: viribus naturæ ſubſidio it; nauſeam pacat; pulſum arteriarum ſæpiſſimè compeſcit, molliorem plenioremque reddens; calorem febrilem et delirium tollit; petechias aliaque putroris ſigna cohibet et prorſùs ſummovet. Acidum vitrioli-

cum

cum ad ſudores liquidos, qui ægri robur reſolvunt, reſtringuendos et omnem putredin emminuendam, multum pollet. Veſicatoriis in hoc morbo hodierna medicina parciùs utitur; tamen inflammatione aliquam partem corripiente, ei applicata magnum levamen afferre ſolent. Si, his uſitatis, ſtranguria oriatur, hæc a camphorâ ſurripi dicitur. A potibus diluentibus, ſtranguriâ ægrum turbante, ſine incommodo magno abſtineri non poteſt; in quibus caſibus nitrum plurimum prodeſſe fertur.

Ad tremores et tendinum ſubſultus domandos medicamenta antiſpaſmodica varia in prætio fuêre; hæc ſunt camphora, moſchus, opium, aliaque quorum omnium opium longè præſtantiſſimum apparet.

Jam, meâ ratione de febre continnuâ communi prolatâ, et curationis poſito modo, qui mihi Profeſſorum in hâc Academiâ illuſtrium auctoritate freto, tutiſſimus videtur, hanc diſſertationem ad ſummam producam meas ſol-

 vendo

vendo gratias, Doctori Rutherford jure debitas, non ſolùm ob documenta ſcientiam afferentia, ſed magis adhuc ob alias curas, quibus in me amiciſſimè fungebatur.

FINIS.